

1526 consilia hæc rejicienda esse , summa vi contendebant . Verum Senatus veritus , ne Clemens , qui non parum prioris constan- tiæ , ardorisque remiserat , & restinxerat , paulatim ad Cæsa- rem transfiret , ita , ut diximus , per Marcum Foscarum Orato- rem responderi Pontifici jussit . Per eos dies Nicolaus Fulgo- sius Venetias venit , Patribusque significavit , se quamprimum Genuam profecturum , omniq[ue] officio , & auctoritate , qua plurimum apud multos pollebat , enixurum , ut civitas in fœ- deris partes concedat , a Gallorumque regis nutu , & potesta- te pendeat ; non ignorare quantum ponderis illius accessio sit habitura , utpote quæ situs opportunitate , viribus Italicas ex- peditiones omni tempore juverit . Hæc erant consilia , ex quib[us] magni rerum eventus pendebant : cum interea Rex , qui Conjacense foedus summopere concupiverat , non eumdem ani- mi ardorem in exequendis rebus ostenderet ; nam quadraginta aureorum millia , duorum mensium elapso tempore , per- solvere omiserat ; Salassiorum Marchionem in Italiam destina- tum nondum arripere iter jussiferat ; Petrum Navarrum classis præfectum declaratum mora , ac cunctatione distinebat : ita rerum gerendarum occasiones elabebantur , & præcipue Genuæ civitatis expeditio , quam , appropinquante classe , haud dubius rumor afferebat , statim in nostrorum potestatem venturam .

Interea cum jam inclinante æstate , præter Laudem Pompe- jam , & Modoetiam oppida , nulla foederatorum rebus facta fuisset accessio , ne exercitus , qui Mediolanum obsidere cœ- perat , opus summe difficultatis , vel propter civitatis amplitu- dinem , vel propter Hispanorum constantiam , qui saepè levioribus præliis mœnia egressi nostros lacefiebant ; ne sine aliquo egregii facinoris periculo tempus tereretur , placuit , Malatestam Baleonium Perusinum , cuius virtus , famaque ex Laudis Pompejæ eventu non parum aucta fuerat , cum octo peditum mil- libus ad urbem Cremonam expugnandam mittere ; cui Ger- mani mille pedites cum quingentis Hispanis , equitibus ducen- tis , Corradino Duce , præerant . Malatesta , per aliquot dies urbe circumsessa , aggeribus , fossis , propugnaculis , ænearum machinarum impetu tentata , ac per arcem , quæ Sfortiæ no- mine tenebatur , urbem ingredi adortus , cum suorum supra mille pedites amisisset , Franciscus Urbini Dux cum omnibus

*Malatesta
Baleonius
ad Cremonæ
oppugnatio-
nem.*

Vc-